

LE G. VI
VIC. P. F.
F.

I. O. M.
COHIAEL. DAC
TETRICIANO RO
---C. P. P. LVTIC
---VS. DESIG
NATVS
TRIB.

I. O. M.
COH. I. AEL.
DAC. GORD.
ANA. C. P. --- EST.

I. O. M.
--- H. I. AEL. DAC.
--- C. PRAEESI. ---
--- FLIVS FA
--- S TRIB. ---
--- PETVO. ---
--- COS.

Gilleflandiae Domini.
Ex veteri Miffali.
Radulphum etiam vocat R. Cooke Clarenceux.
sic libri M. de Fontibus & Holme.

Primus, quem legi hujus Gilleflandiae Domini habitus erat Guilielmus *Meschines*, frater Radulphi Domini Cumbriae (non dico Guilielmum illum fratrem Ranulphi Comitis Cestriae à quo Ranulphus de *Ruelent*, sed fratrem Radulphi) qui tamen Scotis extorquere non poterat. *Gill* enim filius *Bueth* maximam ejus partem vi & armis tenuit. Post ejus mortem Rex Henricus Secundus Huberto de *Vallibus* sive *Vaulx* elargitus est, cujus clypeus gentilitius argento & rubro interstinctus depingebatur. Hujus filius Robertus Prioratum *Lanercost* fundavit & dotavit. Sed haereditas post paucos annos nuptiis translata fuit ad *Moltonos*, & ab iis per filiam ad Ranulphum Dominum *Dacre*, cujus posterius ad nostra usque tempora summo honore floruerunt.

Cum jam maritima & interiora Cumbriae quodammodo perlustraverim, pars Orientalior, macra licet illa, jejuna, & solitaria invifenda superest, quae tamen nihil exhibet praeter *Tina australis* fontes in solo subivido, & viam antiquam Romanam octo ulnas latitudine saxi constratam. *Virginum viam* vocitant, quae ex *Westmorlandia* ducit, & ubi *Alon* rivulus, & *Tina* ille confluunt, per latus collis molliter inclinatum veteris oppidi permagni vestigia adhuc sunt reliqua, quod ad Septentriones vallo quadruplici, ad Occasum fescuplo fuit incinctum: *Whitley castle* nunc loco nomen, in cujus vetustatis testimonium haec superest compendiosa scribendi ratione implexis literis imperfecta inscriptio, qua docemur cohortem Tertiam Nerviorum aedem Imperatori Antonino Severi filio ibidem posuisse:

I M P. C A E S. Lucii Septimi Severi ARABICI, ADIABENICI, PARTHICI, MAX. F. I. L. D. I. V. I. A. N. T. O. N. I. N. I. Pii Germanici SARMA. NEP. DIVI ANTONINI PII PRON. DIVI HADRIANI A. B. N. DIVI TRAIANI PARTH. ET DIVINERVAE ADNEPOTI. M. AVRELIO ANTONINO PIO FEL. AVG. GERMANICO PONT. MAX. TR. POT. --- X. --- IMP. --- COS. IIII. P. P. --- PROPIETATE A. E. D. --- VOTO. COMMVNICVRANTE. --- LEGATO AVG. PR. --- COH. III. NERVIO --- RVM. --- G. R. POS.

Mayden way.

Quod vero Cohors Tertia Nerviorum hoc in loco stipendia fecerit, quam ad ALIONEM Liber Notitiarum locat, Antoninus ALONE dixit, & rivulus hic subterlabens *Alne* nomen habet, si hoc ALONEM existimarim, verisimile, potius quam verum videatur, cum injuria temporis edacis, & furor hostilis haec ex hominum memoria jam olim expulerint.

Labente Romanorum in Britannia imperio, quamvis haec regio à Scotis, & Pictis gravissime dilacerata fuerit, Britannos tamen primavos incolas diutissime servavit, & sero in Saxonum potestatem devenit. Cum autem Saxonum res Danicis bellis accisa praecipere, suos Regulos, qui Cumbriorum Reges dicebantur, ad annum Domini DCCCXLVI, habuit, quo tempore (ut inquit Florilegus Westmonasteriensis) Rex Edmundus adjutorio Leolini Regis Demetriae fretus, Cumbriam totam cunctis opibus spoliavit, ac duobus filiis Dummaili ejusdem provinciae regis oculorum luce privatis, regnum illud Malcolmo Scotorum Regi de se tenendum concessit, ut Aquilonares Angliae partes terra marique ab hostium adventantium incurfione tueretur. Ex quo tempore filii Regum Scotiae natu maximi Cumbriae praefecti aliquandiu tam sub Saxonibus, quam Danis dicti erant. Cum autem Normannis Anglia se dedidisset, haec etiam pars in illorum manus concessit, Radulphoque de *Meschines* obtigit, cujus filius natu maximus Ranulphus fuit Cumbriae Dominus, & materno jure, principisque gratia etiam Cestriae Comes. Sed Stephanus Rex, ut Scotorum gratiam iniret, illis denuo reddidit, ut clientelari jure à se, & regibus Angliae tenerent, Henricus autem Secundus, qui successit, cum hanc profusam Stephani liberalitatem sibi, & suo regno fraudi fuisse sensisset, Northumbriam, Cumbriam, & Westmorlandiam à Scoto repetiit. Scotus enim, ut habet Neubrigenses, prudenter considerans Regem Angliae in hac parte cum potentia virium, tum merito causa praestare, quamvis posset obtendere juramentum, quod avo suo Davidi praestitisse dicebatur, cum ab eo cingulum acciperet militare: praenominatos fines repetenti cum integritate restituit, & ab eo vicissim Comitatum Huntedunensem praefecto sibi jure competentem recepit.

Comites Cumbriae ante Henrici Octavi tempora non erant, ille enim Henricum Clifford, qui à Dominis de Veteri ponte, sive Vipont genus duxit primum Cumbriae Comitem creavit, qui ex Margareta filia Henrici Percy Comitis Northumbriae genuit Henricum Comitem secundum, cui ex prima uxore filia Caroli Brandon Ducis Suffolciae nata erat Margareta Comitissa Derbyae, ex uxore secunda filia Baronis Dacre de Gillefland duo filii, Georgius, & Franciscus. Georgius tertius Comes navali gloria clarus, ad labores impiger, ad pericula fortis, obiit CIOOV, Anna unica filia relicta. Illi autem successit Franciscus frater, Comes Quartus, in quo ardor mentis ad virtutem tantis majoribus dignus clarissime elucet.

Illic ager 58 Paroeciales Ecclesias praeter capellas numerat.

V A L-